



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 14. Regis epistola ad Franciæ Episcopos jam Tridenti congregatos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

Sæcul. XVI. vicissim enim Pontifex petebat, ut non
 A.C. 1562. Franciæ Episcopi Pontificiæ auctoritati
 derogarent, sed soli Pontifici Ecclesiasticæ
 disciplinæ, ac Curiæ Romanæ emen-
 datio reservaretur: ut vero eo facilius
 id obtineret, necnon ea, quæ Tridenti
 gererentur, singulis diebus resciret,
 cum toto Sacro Collegio Bononiam
 venire decrevit, ut Synodo magis vi-
 einus, ac exigente rerum necessitate
 commodius agere posset, quinto, si
 necessarium foret, Tridentum quoque
 venire paratus, hoc tamen suum
 animi propositum occultabat, quæsito
 obtentu, quod Cæsar's coronationi,
 quæ ibidem proxime haberetur, inter-
 esse velit, ne pro tuenda sua auctoritate
 magis, quam pro Pastoris officio explen-
 do sollicitus esse videretur: (*) nihilo-
 minus Pontifex hoc iter non aggressus
 est, sed Romæ substitit.

§. XIV.

*Regis epistola ad Franciæ Episcopos
 jam Tridenti congregatos.*

Mem. 1.6.
 p. 191.

Postquam Lansacus Tridentum vene-
 rat, brevi etiam ambo ejus Socii
 Arnaldus Ferrierus, & Pibracus seque-
 bantur,

(*) Hæc Continuatoris animadversio adeo
 puerilis æque, ac scurrilis est, ut confuta-
 tionem minime mereatur.

bantur, quorum primus decima nona, **Sæcul. XVI.**
alter vero vigesima prima ejusdem Men- **A.C. 1562.**
sis Maji die urbem ingrediebatur. Post-
ea Lansacus quosdam Franciæ Episco-
pos, qui jam in Synodo aderant, vi-
sum ibat, eisque Caroli IX. Regis epi-
stolam tradebat, in qua Rex Christia-
nissimus eisdem injunxit, ut, quoties-
cunque aliquam rem in Synodo propo-
nere oportuerit, semper juncta cum
Oratore suo opera, ac consilio agerent.
Data erat hæc epistola Mense Aprili;
cujus tenor erat sequens.

„Dilectis, ac fidelibus nostris
Rex salutem.,,

„Fidelem nostrum, ac Senatus nostri
„sanctoris Consiliarium Lansacum Or-
„dinis nostri Equitem, qui magno loco
„apud nos, uti scitis, est, & dilectum ac
„fidelem Magistrum Arnaldum Ferrie-
„rum Consiliarium nostrum, atque in
„aula nostra Parisiensis Curiæ Præsi-
„dem, necnon Guidonem Fabrum Pib-
„racum pariter Consiliarium nostrum, ac
„Tolosanum Prætorem tanquam nostros
„ad Synodum Legatos ad vos deputa-
„vimus, quod quidem non tam, ut
„laudandæ consuetudini in ejusmodi
„eventibus usurpatæ satisfaciamus,
„fecimus, quam quia speramus, quod
„ex tam sancta, ac celebri Synodo re-

C 3 porte-

Sæcul. XVI
A.C. 1562.

„portemus fructum adeo necessarium
„pro rerum per malitiam, ac tempo-
rum corruptionem depravatarum re-
formatione, pro pace, ac totius Chri-
stianæ Reipublicæ in unam sanctam,
„puram, & Catholicam fidem consen-
tione: has igitur ob caussas, quoties-
cunque Lansacus a vobis conventum
„haberi postulabit, sive in suis ædibus,
„sive alibi, ut de rebus occurrentibus,
„aut Synodo proponendis deliberetur,
„id exequi non negligatis, atque in
„omnibus, & per omnia prudenter, ac
„solerter vos geratis, unanime studium
„præferentes, nullumque affectum,
„aut pertinaciam exhibentes, ob quam
„privata vestra commoda bono publico
„præferre velletis: insuper una omnes,
„sicuti ejusdem Nationis, atque ejus-
dem Principis, Regisque Christianis-
simi subditi estis, ita etiam in iisdem
„opinionibus unanimes sitis, unice ob
„oculos ponentes, quicquid ad divini
„nominis honorem, & gloriam, ac se-
„danda Religionis dissidia conferre po-
„terit, prout uberior percipientis a Lan-
„saco, nostrisque Oratoribus, quibus
„in omnibus, quæ vobis dixerint, ean-
„dem fidem, quam nobis metipsis præ-
„fentibus, adhibere velit, rogo.,,

§. XV.

